

129

1712, 13

18

Passe

IO. CHRISTIANI SCHRÖTERI, D.

FACULTATIS JVRIDICÆ SCABINORVM-
QE COLLEGII ADSESSORIS,
ILLIVSQVE HOC TEMPORE DECANI

PROGRAMMA *LECTIONI AVSPICALI* LEVINI FRIDERICI BENSENII

HASELAVIO-HOLSATI,
SVMMORVM IN VTROQVE JVRE
HONORVM CANDIDATI

PRAEMISSVM.

JENAE, LITTERIS MULLERIANIS.



10. C. 12. 13.
14. 15. 16. 17. 18.
19. 20. 21. 22. 23. 24. 25.
26. 27. 28. 29. 30. 31. 32.
33. 34. 35. 36. 37. 38. 39.
40. 41. 42. 43. 44. 45. 46.
47. 48. 49. 50. 51. 52. 53.
54. 55. 56. 57. 58. 59. 60.
61. 62. 63. 64. 65. 66. 67.
68. 69. 70. 71. 72. 73. 74.
75. 76. 77. 78. 79. 80. 81.
82. 83. 84. 85. 86. 87. 88.
89. 90. 91. 92. 93. 94. 95.
96. 97. 98. 99. 100. 101. 102.



X alterius contractu neminem
obligari, certissimum esse re-
scribunt Imperatores, Dio-
cletianus & Maximianus, in
lege 3. *Cod. ne uxor pro ma-
rito.* Rationem vero hujus
regulae civilis reddit Gajus, in lege 39. *D. de negot.
gestis*, quando naturalem simul atque civilem
rationem suadere, ait, alienam conditionem me-
liorem quidem, etiam ignorantis & iniuiti, nos
facere posse, deteriorem non posse. Quod idem
confirmat Venulejus JC. in lege 2. *D. quod vi aut
clam.* Exemplo autem elegantissimo citatum
juris enunciatum illustrat Gordianus Imperator,
in lege 1. *Cod. ne filius pro patre, vel pater pro filio
emancipato conveniatur*, cuius verba haec sunt:
*Neque ex ejus filii persona, qui cum sui juris esset,
mutuam pecuniam accepit, pater ejus, si non fi-*

A 2 dem

dem suam obstrinxit, conveniri potest: neque ex
 ejus, quem in potestate habet, si sine iussu ejus con-
 tractum est: neque, si contra SC. Macedonianum
 mutua pecunia data est, amplius, quam de peculio
 actionem sustinere cogitur. Quapropter pater
 tuus, si ei pecunia a creditore fratri tui extorta
 est, ad quam reddendam non tenebatur, Praesidis
 provinciae auctoritate eam recuperabit. Hinc ve-
 ro manifeste adparet, neque emancipatum filium,
 neque in paternis sacris adhuc constitutum, obli-
 gationem imponere genitori posse. Utriusque
 enim intuitu verum est, quod scribit Gajus in cit.
 lege 39. D. de Negot. gest. Et de filio quidem e-
 mancipato minor dubitandi locus est; quippe
 cum hic separatas omnino a paternis rebus habeat
 rationes, sibique ipsi ex omnibus caussis adquirat.
 At enim filius familias pro eadem cum patre per-
 sona juris intellectu habetur, eidemque obligatio-
 nes pariter adquirit atque actiones, vide legem 38.
 §. 17. & legem 45. D. de Verb. Oblig. Utque se-
 cundum naturam esse dicit Paulus, in l. 10. d. R. J.
 ut ibi onus sit, ubi commodum; neque ferendus
 is, qui lucrum quidem amplectitur, onus au-
 tem contemnit, per legem un. §. 8. Cod. de Cad.
 toll.

toll. ira vel ea de causa ex conventione filii
in potestate constituti teneri pater videtur. Sed
salva res est: nec quidquam per haec quidem argu-
menta detrahitur laudatae civilis juris regulæ. Fi-
ctio scilicet juris, in favorem parentis introdu-
cta, sit, ut constitutus in potestate filius, pro eadem
cum illo persona habeatur, eidemque adquirat.
Quocirca in odium patris dispositionem illam
detorqueri non convenit: maxime quod quælibet
fictio strictæ est interpretationis. Itaque fa-
milias quoque filius ipse ex contractu suo obliga-
bitur: sufficit enim non servilis eum conditionis
esse, neque principiis obligandi, intellectu videlicet
ac voluntate, destitutum. Facit omnino hoc
responsum Gaii in *lege 39. C. de Obligat. & Action.*
Filium familias ex omnibus causis tanquam pa-
trem familias obligari, & ob id agi cum eo tan-
quam cum patre familias posse. Cui accedit Ulpianus in *lege 57. de Judiciorum*: Tam, inquiens, ex con-
tractu, quam ex delictis, in filium familias compe-
tere actionem. Ceterum hoc ita indubitate juris era-
rat, si filius a patre suo non emancipatus esset; hoc
enim facto, desinebat mero jure teneri; quia actio
quæ adversus eum competebat extinguebatur.

A 3 propter

propter capit̄is diminutionem, quam imaginaria illa venditio ac intercedens manumissio involvebat. vide Ulpianum in *Fragm. Tit. 10.* & laudatum Gajum in *Instit. Lib. 1. Tit. 6.* Unde si merum ac subtile jus inspiciamus, filius, qui obligatus erat cum in potestate patris esset, post emancipationem desinebat teneri, & obligatio extinguebatur, quæ adversus eum competebat, atque videbatur quodammodo alius & novus homo esse. Praetor tamen cum videret illam juris civilis subtilitatem ab æquitate alienam, adeoque benigniore interpretatione juvandam esse, ut creditoribus consuleret, quibus filius familias obligatus erat ante emancipationem, propositum edictum, quo restituit eis actiones adverius debitorem, quasi hic capit̄is diminutionem passus non esset; quod edictum existat in lege 2. de capit. minut. Verum ex quo figuratas ejusmodi venditiones in liberorum hominum personis sustulerunt Imperatores, Anastasius, in lege penult. & Justinianus, in lege ult. *Cod. de emancipation. liber:* Praetoris auxilio hac parte non amplius opus habuerunt creditores; quoniam facta licet emancipatione, omnia librorum, & quæ adversus ipsos competebant jura, integra permanente

ac

ac incorrupta. Ceterum in eo tamen insignis honorarii juris usus hodieque spectatur, quod cum jure civili ex negotio filii familias nullo penitus modo conveniri posset pater, multae actiones ex Praetorum jurisdictione contra eum competant. Datur enim actio quod iussu, si filius iussu parentis contraxerit: datur actio de peculio, quatenus est in peculio: datur actio in*stitutoria*, si filius patris *institutor* fuerit: datur actio de in rem verso, si quid ex contractu filii in rem patris versum sit. Quo tensu recte pronunciat Ulpianus in lege 44. *D. de judiciis*: Si quis cum filio familias contraxerit duos habet debitores: filium in solidum; patrem duntaxat de peculio. Extra has vero & similes causas adeo verum est, patrem non teneri ex contractu filii, ut, si idem per errorem solverit, repetere hoc possit auctoritate praefidis provinciae. Cui vicinum est, quod jure manifestissimo caustum esse dicitur in lege 3. *Cod. ne filius pro patr.* si filius familias inuito parte decurio creatus sit, patrem pro eo inquietari non posse; tametsi quid male gesserit in eo decurionatus: Quorsum etiam referre licet legem 2. *pr. D. ad Municip. & Titulum LX. Lib. X. Cod. de filiis familiis*

35 (o) 58

milias, & quemadmodum pro his pater teneatur.

Sed pluribus hæc in auspicalibus suis Læctionibus persequetur nobilissimus Jurium Candidatus

LEVINVS FRIDERICVS
BENSENIVS,
HASELAVIO-HOLSATVS.

Natus is est anno superioris seculi nonagesimo
~~secundo~~. Et Genitore quidem usus, viro dum vi-
veret admodum reverendo, BENJAMINO
BENSENIO, divini verbi ministro multis in ec-
clesiam sibi concreditam meritis conspicuo.
Matrem vero coluit, MARGARETHAM, ex
inlyta SELKIORVM gente oriundam. Qui-
bus parentibus cum nihil prius esset nihilque an-
tiquius, nisi ut a teneris inde ad omnem pietat-
em & eruditionem formaretur filii animus, ma-
ture eum tradiderunt privatæ doctorum homi-
num disciplinæ, in eaque per duo, & quod ex-
currerit,

currit, lustra sustentarunt. Et quamvis ex præmaturo Parentis excessu, qui incidit in annum hujus seculi sextum, insigniter turbarentur domesticæ res, omnem tamen sollicitudinem adhibuit **adflicta** Mater, ut in almis Musarum scholis porro enutriretur filius. Quam ob caussam mislus hic fuit in celebre Luneburgensem, ad ædem D. Johannis, Gymnasium : ubi per integrum commoratus lustrum, hospitio quidem usus est Generosi Dn. LVDOLFFI a DOERING, laudatæ civitatis Patricii spectatissimi, Bahro - Salinorumque Magistri gravissimi, Patroni sui multis nominibus colendi. Institutione autem galvisus est amplissimorum virorum, PAVLI KRAVTII, Rectoris, & M. RAPHELII, illo tempore Con-Rectoris, nunc ecclesiæ S. Nicolai Pastoris primarii. Postquam vero optimi illi formandæ pubis Magistri omnibus artibus ac disciplinis, queis juvenilis ætas impertiri debet, exornarunt Nostri animum, idem ex sententia Patronorum amicorumque undecimo hujus seculi anno, in nostram se contulit Academiam, atque a Pro - Rectore tum quoque temporis Magnifico, Domino JOANNE HADRIANO

B SLE-

SLEVOGTIO, Doctore ac Professore Medico celeberrimo, civium numero adscriptus fuit. Hic vero omni in id incubuit cura, ut dignam nomine suo, hoc est, jurium cultore ac studiose gereret personam. Atque ut præparato ad jurisprudentiae sacra accederet animo, philosophicas primum excoluit disciplinas: Præceptoresque in his laudat præstantissimæ eruditio-
nis viros, B V R C A R D V M G O T T-
H E L F F I V M S T R V V I V M , Jurium & Historiarum apud nos Professorem publicum, atque in aula Baruthina Consiliarium; D. E P H R A I-
M V M G E R H A R D V M , ad professionem juris ordinariam in Academiam Altorffinam nuper evocatum; nec non B. G E O R G I V M A L B E R-
T V M H A M B E R G E R V M , Mathematum & Physices quondam Professorem optime meri-
tum. Ceterum quod ad ipsum legitimæ disciplinæ cursum spectat, Doctorem in utroque jure multo cum fructu sibi auditum prædicat consultissimum virum, JO. V V I L H E L M U M
D I E T M A R V M , Consiliarium Saxo-Meiningensem. Præterea vero publicas quoque atque pri-

privatas Lectiones frequentavit excellentissimorum virorum, D. VVILHELMI HIERONYMI BRVCKNERI, & D. JO. BERNHARDI FRISII, Antecessorum, & Juridicorum quæ heic loci sunt Collegiorum Assessorum in magna celebritate versantium. Denique nostris etiam scholis, ad forensem praxin docendam institutis, intersuit clarissimus Candidatus. Jacobus enim feliciter solidioris doctrinæ fundamentis, e re sua esse credidit, ambiguis quoque causarum fatis dirimendis diligentem navare operam. Utque his in summis, patriæ judiciis non sine insigni clientum commodo adhuc deitus fuit, ita publico eruditionis testimonio ac titulo insignitus majora etiam praestare sibi videbatur. Adito itaque decenter Collegio Nostro, ut in numerum Candidatorum reciperetur petit, idque per probatam in consuetis examinibus legum peritiam merito suo obtinuit. Ius fuisse itaque publica etiam edere eruditionis specimen, crastina die supra citatam legem *r. C. ne fil. pro patre, vel pater pro filio emancipato conveniatur*, explicabit. Quem actum ut

PRO-

PRO-RECTOR MAGNIFICVS, Pro-
ceresque omnium Ordinum spectatissimi, in-
primis autem Cives Academiæ genere ac vir-
tute ornatissimi, præsentia sua illustriorem redi-
dere velint, Collegii pariter mei ac Candidati
nomine rogo. P. P. D. XIX. Sept.
MDCCXVII.



Jena, Diss., 1717

(x 2583 127)

KO18



B.I.G.

Black

Farbkarte #13



123
1712, 13 18
P 552

IO. CHRISTIANI SCHRÖTERI, D.

FACULTATIS JVRIDICÆ SCABINORVM.
QVÈ COLLEGII ADSESSORIS,
ILLIVSQUE HOC TEMPORE DECANI

PROGRAMMA LECTIONI AVSPICALI LEVINI FRIDERICI BENSENII

HASELAVIO-HOLSATI,
SVMMORVM IN VTROQVE JVRE
HONORVM CANDIDATI

PRAEMISSVM.

JENAE, LITTERIS MULLERIANIS.

